

nomine cœli cuncta celestia, nomine autem terra cuncta inferiora intelligenda sunt. (Rom. XI, 36) : *Ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia*; quibus verbis designatur triplex Dei habitudo ad creaturam, nempe efficientis, exemplaris et finalis enusse. Nam “omnia sunt ex ipso, sc. Deo, sicut ex prima operatrici potentia, omnia autem sunt per ipsum in quantum omnia facit per suam sapientiam, omnia sunt in ipso sicut in bonitate conservante<sup>1</sup>.” Cum autem haec tria, potentia, sapientia, bonitas, optimè approprientur Patri, Filio et Spiritui Sancto, intelligere possumus ex ipso, sc. in Patre, per ipsum, sc. per Filium, in ipso, sc. in Spiritu Sancto.

*Prob. 2<sup>o</sup> ex Patribus*, inter quos sufficiunt unum aut alterum audiisse. *S. Irenæus* (I, 2 adv. her. e. 30, n. 9) ait : “Ipse a semetipso fecit libere, et ex sua potestate, et disposuit et perfecit omnia, et est substantia omnium voluntas ejus.” *S. Basilius* (de Sp. S. e. 16, n. 38) idem habet, docens “primum omnium rerum causam esse Patrem, qui per Filium omnia producit, et per Spiritum S. perficit.”

*Prob. 3<sup>o</sup> ratione.*

Quod invenitur in aliquo per participationem, seu secundum limitationem vel contractionem quamdam, necesse est in ipso produci ab eo cui essentialiter, seu sine ulla contracione, convenit, v. g. ferrum fit ignitum ab igne. Atqui Deus est ipsum esse per se subsistens, quod certe non potest esse nisi unum, quemadmodum, si albedo subsisteret, una dumtaxat esset; cuncta autem alia a Deo, cum non sint suum esse, illud participant secundum varios entitatis gradus. Ergo unus est fons communis omnium entium, sc. Deus.<sup>2</sup>

*Confirmatur 1<sup>o</sup>* haec conclusio ex verbo *Platonis*, qui dixit necessarium esse ante omnem multitudinem ponere unitatem. Multa enim et diversa, in quantum talia sunt, non possunt aliquid commune participare, cum diverse cause diversos producant effectus, sed illud recipiant oportet a superiori communique principio, qualis est Deus respectu omnium rerum.<sup>3</sup> Hinc in natura videmus ramos ab uno

1—Cf. *Commentaria* D. Thomae in Ep. S. Pauli.

2—Cf. *De Pot.*, Q. III, a. 5.

3—*Ibid.*